



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

Druzbicki, Kaspar

Coloniæ, 1721

Dies I. Considerationes præambulæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)



CONSIDERATIO I.

*Continebit hæc Consideratio diligentem
perpensionem Regulae supradictæ : per-
pendentur enim singula ejus ver-
ba ; præcipue verò hæc quinque
præ oculis habebuntur.*

I.



Uod hæc Regula omnibus
omnino seruiat iis ; qui in
Societate vivunt, incipien-
do à primi anni Novitiis,
usque ad extremè vetera-
nos : omnes siquidem isti,
se se Societati addixerunt, & quidem Veterani ma-
gis quàm Novitii : proinde etiam Veteranis incum-
bit magis eam Regulam vitæ suæ exprimere,
quàm Novitiis. quod an re ipsa in nobis sit, erit
sine palpatione acriter in conscientia propria à
quolibet dispiciendum, dijudicandumque.

2. Quod hæc Regula præcipiat omnibus So-
cietatis hominibus studium, seu diligentem & inde-
fessam curam (id enim vox studii, & incumbendi

sonat) non cujuslibet rei, sed virtutum: nec quarumlibet, sed solidarum ac perfectarum, & denique generatim omnium rerum spiritualium Instituto congruentium. Quod præceptum, quàm sit expressum, quàm rationale, quàm Evangelicum, quàm Instituto congruum, quomodo à primis nostris Patribus executioni mandatum: quomodo à nobis mandetur aut mandandum sit; accuratè itidem & absque dissimulatione est introspectendum, firmæque proposita & particularia, designatis occasionibus & modis atque temporibus, & aliis circumstantiis, ad ejus Regulæ observationem plenam concipienda.

3. Quòd Regula præcipiat, istiusmodi studium virtutum solidarum & perfectarum à Societatis hominibus præferri omnibus aliis rebus atque mediis (post Deum) sive sint hæc scientiæ atque doctrinæ qualescunque; sive sint dona naturalia, ut ingenium, Judicium, talentum gubernandi, concionandi, docendi, conversandi, sive sint aliæ doctes humanæ, rationesque politicæ, ut sunt forma, genus, officia, experientia, aptitudo, gratia & favor externorum vel domesticorum, Superiorum, vel graviorum virorum, spes promotionum ad hæc illave studia, officia, gradus, loca. Quibus omnibus tunc præfertur studium virtutum solidarum à Societatis homine, quando priùs virtutes, quàm illa, quærit; quando virtutum cultum, propter illa non negligit; quando istorum curam, ad virtutum culturam perfectionemque dirigit; quando ab aliis abstinere, abstrahive sine perturbatione mentis, si-
ne

ne querelis, sine murmuratione, sine amaritudine & melancholia, contentissimus est, quando illa in se non agnosci, sibi ve ea derogari, vel illa in se negligi deprimi ve, pacatè fert vel gaudet, non ignaviâ aut laboris fugâ sed humiliationis sui studio. Hos similè que mores, an in te ipso deprehendas, an verò his oppositos experiare, sine dissimulatione inspicere, ac quantum poteris, accuratè, seriò que ad emendationem tuâ tecum contra te conspira, invocato ad id auxilio gratiæ Divinæ.

4. Quòd Regula præcepti sui rationem det sanè firmis simam. Etsi enim Religioso satis esse deberet ad hoc studium Virtutum solidarum persuadendum, ipsius Regulæ mens: quæ est planè ac verè mens Societatis universæ, immo mens atque voluntas Dei, cui non obsequi nefas est: tamen etiam ratione convincit evidenti intellectum, consequentè que voluntatem, ut ita omnino studia sua ordinet; primùm nempè ad solidas virtutes parandas, deinde ad alia naturalia præsidia conquirenda. Ratio autem istiusmodi est, quia nimirum Virtutes solidæ ac perfectæ, itém que res spirituales sunt interiora interioris hominis bona, magis que ad animi bonum pertinent, quàm doctrinæ vel alia naturalia bona. Dicitur autem ratio, quòd sicut animus corpori, ita & bona animi præstant bonis corporis: & sicut spiritus naturæ præstat, ita etiam bona spiritualia bonis naturalibus præstant. Dicitur etiam consequenter ratio, quòd priùs & magis curanda sint bona animi quàm corporis, bonaque spiritus quàm naturæ. Et cum Virtutes solidæ ac

perfectæ, resque spirituales, sint animi & spiritus bona, magis quam doctrina, vel alia naturalia; relinquuntur, prius esse & potius curandas. Virtutes solidas resque spirituales, quam doctrinas, & alia quælibet. Cui accedit illa alia ratio, quod illa sine bona diligentius curanda, quæ sunt anima aliorum bonorum, & sine quibus alia bona non sunt bona, sed potius vel inutilia, vel etiam periculosa, ac damnosa. Sed virtutes solidæ ac perfectæ, resque spirituales sunt anima, sunt vita, sunt vigor, sunt pretium & valor omnium aliorum bonorum naturalium, ita ut naturalia bona sine illis, sint tanquam corpus sine anima, tanquam instrumenta sine artifice, tanquam mundus sine sole: immo sunt instrumenta superbix, avaritix, libidinis, aliorumque scelerum incentiva, ut in exemplis infinitis patuit, in omni retro ætate, statumque hominum: igitur restat, ut juxta mentem Regulæ, prius & magis curentur Virtutes solidæ, quam dotes naturæ. Ubi dispicies occultè & accuratè, an in te sit is sensus, idque iudicium practicum de Virtutibus ac naturæ dotibus: an verò speculativè quidem id scias, & asseras, practicè verò in occasionibus opposito modo te geras: ac si ita in te inveneris: corrige errorem tuum deinceps & occasiones practicas ab experientia peritas designa &c.

5. Quod Regula magis curandas solidas Virtutes, quam naturalia dona præcipiat, non tantum ob dictas rationes, quæ cuilibet statui hominum servire, idque ipsum suadere possunt, sed præterea ob rationem peculiarem, institutòque Societati pro-

pro-

propriam, quam ex fine Societati proposito atque proprio desumit. Est enim finis Societatis (juxta Reg. 2. Summ:) non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum Divinâ gratiâ vacare, sed cum eadem gratia impensè in salutem & etiam perfectionem proximorum incumbere. At incumbere in hunc finem, hoc est, in salutem & perfectionem proximorum, Societatis homo nullus potest, nisi sit in solidis & perfectis virtutibus, rebusque spiritualibus ipsemet bene fundatus: quomodo enim perfectum imperfectus, solidum non solidum in virtute, spiritualement non spiritualis faciet? immo quomodo ipse non peribit cum pereuntibus, qui vires non habet ad opem ferendam pereuntibus? *Quomodo perficiet turrim, qui sumptum non habet, etiam ad ponendum fundamentum? quomodo occurret hosti venienti contra se cum 20000. qui neque 10000. habet?* Lucæ 14. 28. Itaque quisquis finem Societatis assequi vult, is virtutibus solidis & perfectis præditus esse ante omnia debet, & consequenter, is in virtutum solidarum & perfectarum rerumque spiritualium studium incumbere, in iis que majus momentum quam in doctrina, vel aliis hominis bonis constitutum esse, pro certo habere debet, & ex illis ad ista, vim efficaciamque derivare; ut ita tandem feliciter absque suo periculo & damno, finem Societati propositum consequi possit. An hæc Regulæ ratiocinatio sit efficax, vide; an & qualem in te locum habeat, expende, nec dissimula, sed fideliter practicèque tecum ipse age, propone, conclude.

CONSIDERATIO II.

Quid sit virtus perfecta & solida?



I. Virtus definitur à sapientibus , quòd sit habitus , quo quis bonus redditur, & nemo malè utitur. Ex qua definitione discimus. 1. Virtutem non esse quamcunque animi ad bonum inclinationem, propensionem, motionem, neque qualemcunque bonum actum ab homine exercitum aliquando ; sed esse habitum, seu assuefactionem animi constantem ad bonum aliquid, ita ut animo facile aut etiam delectabile sit, (ex eo saltem, quia facile) bonum operari; difficile autem & molestum, malum vel malè facere, quæ assuefactio atque facilitas ad bonum, difficultas verò ad malum inducitur in actum, vel strenuis atque heroicis, vel saltem frequentatis actibus bonis. v. g. qui se strenuè humiliat, frequentèrque, efficitur humilis, & induit habitum humilitatis ; quo facile est illi de se abjectè sentire, & se in abjectis occupare; difficile autem, ad honorifica & superba aspirare. 2. Discimus tum ex definitione, tum ex modò dictis, Virtutem non solùm esse bonum quid, sed etiam per eam nos reddi bonos: ille enim bonus est, qui facile & quasi naturale habet, bene operari; hoc autem Virtus in nobis facit, ut suprà expensum est. Virtus igitur nos bonos facit; est igitur & ipsa bonum

num

num, & tale quidem, ut post Deum & ejus gratiam nullum aliud sit majus & verius hominis bonum: nullum enim aliud bonum, facit hominem bonum, nisi sola Virtus. Divitiæ, scientiæ, honores, talenta, amicitia, prophetiæ, miracula verò non faciunt hominem bonum ac proinde non sunt planè hominis bonum; at Virtus sine illis omnibus, facit hominem bonum: illa igitur sola est verum bonum. 3. Discimus, tum ex definitione, tum ex dictis, quòd Virtus tale sit bonum, ut non solum nos faciat bonos, sed etiam nec possit nos facere malos, nec possit fieri mala, quia nemo illà malè utitur: si enim quis malè Virtute uteretur, jam non Virtus, sed vitium esset; nec bonum, sed malum faceret. Omnia alia bona (præter Deum) talia sunt, ut homo iis malè uti possit; solo Deo & virtute non potest, alioqui hoc ipso nec ille Deus, nec illa Virtus esset. Ex omnibus prædictis, discimus. 4. Virtutem, ut verè Virtus sit, debere esse solidam & perfectam, adeò, ut si non sit solida & perfecta, vix Virtus sit. Si enim solida non est, & perfecta, non facit hominem facilem ad bonum, difficilem ad malum agendum, (si enim faceret, jam solida & perfecta esset) quod si non facit, habitus non est, quo boni reddamur: hoc autem Virtus est, ut definitio virtutis docet. Ex quo, discimus 5. pro eodem hæc ferè esse acceptanda, Virtutem solidam, & perfectam Virtutem. Non quòd inchoata & imperfecta Virtus, non sit etiam Virtus suo modo, sed quòd non sit virtus adhuc talis, qualem natura virtutis & definitio in rigore

exigit: Virtus quippe perfectio est. Virtus autem imperfecta, nondum omnino perfectio est, alioqui perfectum faceret habentem, quod quomodo faciet, cum ipsa imperfecta sit? Discimus adhuc ex dictis 6. Pro eodem hoc esse debere apud viros studium virtutis profitentes, virtutem quærere, & virtutem solidam perfectamque quærere. Nam Virtus non est omnino planèque Virtus, si non est solida & perfecta, uti non esse jam vidimus. Igitur qui non quærit solidam & perfectam virtutem, is neque etiam virtutem quærere censendus est. Virtus siquidem perfectio est; igitur virtutem quærere, perfectionem quærere est; quomodo verò aut virtus perfectio est, aut perfectio quæritur, quando virtus imperfecta quæritur, & virtute imperfectâ animus virtutem quærentis atque profitentis contentus est? Agnosce igitur ô Religiose, qui, si veræ Virtutis studium profiteris, solidæ & perfectæ virtutis studium profitearis; item, si verè virtutem quæris, solidam & perfectam quæris: nam si non solidam quæris, hoc ipso nec veram, nec verè virtutem quæris, virtutisve studium profiteris, sed aliud es, aliud profiteris, virtutis naturam & valorem non agnoscis, perfectionis & professionis tuæ indolem, ingenium non dispicis, linguam tuam & loquelam non intelligis. Agnosce, quàm periculose in imperfectionibus tuis, & in imperfectis virtutibus hæres, quantò etiam periculosius virtutum assiduam exercitationem, perfectionemque negligis. Hoc quippe ipso quòd talis es, virtutem non quæris, nec virtutis studiosus es, neque perfectionis
pro-

professus: sed imperfectionis & non virtutis. Unde meritò illud in te quadrat axioma Sanctorum; in via Dei non progredi, est regredi, nolle proficere, velle deficere est, nolle perfectam & solidam virtutem, nolle virtutem est. Quæ si horrescis legere vel recolere, magis multò exhorresce exercere, atque practicè sentire, inque anima tua tolerare. In quo ne videar tibi spinosa disputatione atque consideratione voluisse illudere: te ad te ipsum remitto; converte te ad te: Virtutes tuas imperfectas, quibus scilicet contentus esse velles, inspice, atque ad experientiam tuam adduc; cum eaque prædictam veritatem seu considerationem confer & confronta. Accipe obedientiam tuam imperfectam, facitne illa, ut nunquam, & rarò, ut difficilè in obedientiâ, in autoritate majorum tuorum: intellectu, iudicio, voluntate, linguâ, exercitio pecces? facitne, ut facillimè intellectu, iudicio voluntate, opere, per omnes obedientiæ leges obedias? Accipe imperfectam tuam paupertatem, accipe patientiam, modestiam externam, humilitatem, linguæ continentiam, sobrietatem in cibo & potu, caritatem proximi, &c. faciuntne, istæ imperfectæ virtutes, ut agrè his contraria perfecta committas, vitiisque oppositis careas? ut facilè actus virtutum exerceas? ut libenter? ut connaturaliter? si faciunt: gaude tu, & congaudebo etiam ego, sed tunc, cum id credam: non credo autem, quia id impossibile scio. Si non faciunt, ut facere non possunt: fateare necesse est, te, dum virtutibus imperfectis contentus es, imperfectione conten-

tum

IO *Considerationes.*

tum esse, periculis expositum esse, facilius multò malum, quàm bonum esse, facilius & sæpius peccare, quàm actus bonos facere; ac proinde vitia, non virtutes habere. Virtus enim est dispositio perfecti ad optimum; id est, habitus bene operandi, facilitas bene agendi, difficultas & desuetudo malos actus eliciendi: quâ facilitate bene agendi fit, ut bonum libenter, frequenter, assiduè, conaturaliter agamus, malum autem ægrè, difficulter, rarò, ferè nunquam committamus, sicque boni efficiamur, mali esse dediscamus & nesciamus, sicque virtute malè uti non possimus, sed eam conaturalem nobis efficiamus. Hoc an ita sit, & practicè sit, agnoscamus, quotquot studium virtutis profitemur; & ad solidam perfectamque virtutem omnino enitamur, neque contenti simus imperfecta virtute, sicut forsitan hætenus fuimus.

CONSIDERATIO III.

*Cur virtutum solidarum studium S. P.
Ignatius & Societas à nobis exigat.*



Aula prima est Deus, idque variis modis. Primò. Quia Deus dixit, *Ambula coram me, & esto perfectus*, Gen. 17. 1. id est, homo servias mihi, & sis perfectus, utique in Virtutibus, quia per has Deo servimus. Huic consonat monitum illud Christi Domini.
Estote

de soliditate Virtutis.

II

Estote perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est. Matt. 5. 46. Constat verò, Deum esse solidam & perfectam Bonitatem; & nos igitur oportet esse solidè & perfectè bonos, bonitate verò Virtutum, quia hæ sunt, quibus boni reddimur. Secundò. Deus dignus est, ut simus perfecti & solidi in virtute. Ut ergo nulla alia subsit causa, mihi hæc, hæc sufficere deberet ingenuo animo. Tertiò. Placitum & voluntas Dei: placet namque Deo, & est gustabile gustui ejus, si simus solidè & perfectè boni: hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ait Apostolus. Et quis, quæso est talis, qui nolit Deo ad gustum & ad placitum servire? Quartò. Honor & gloria Dei, quam habet Deus ex nostra solida & perfecta virtute, & ex effectibus ex ea in nos, & per nos in proximos promanantibus: in hunc enim finem Deus, & hominem condidit, & gratiis ornavit, & ad finem supernaturalem elevavit, & ad Religiosum statum vocavit, & ad professionem solidæ Virtutis invitavit, ut ex homine glorificetur magis ac magis, perfectionesque suas manifestet, & bonitates communicet, & sic iterum magis glorificetur, & gloriosus appareat. Et quis invidabit hanc consolationem Deo? (ut sic loquar) ut nolit gaudere Deum de sua per nos, & in nobis exaltatione? ut Deus per nos magis glorificetur & occasione nostrî. Quod fit, quando solidè proficimus; quando ditissimi in virtute, in gratiis, in donis cœlestibus evadimus; quando ad copiosissima merita ascendimus; quando quàm maximam gloriam cœlestem comparamus

mus & meremur. Sicut enim nullo in puncto plus homo Deum exaltabit, quam quando beatitudinem æternam possidebit; ita nullo in puncto & modo plus eundem etiam in hac vita exaltat, quam quando ita in virtute proficit, ut ad quam maximam gloriam evehatur à Deo, atque ad quam perfectissimam fruitionem pertingat Dei, non quia ad hanc pertingere sit bonum homini ipsi, sed quia gloriosum Deo, & quia Deus non potest se se amplius glorificare in homine, quam per hanc fruitionem sui ab illo. Atque ita quanto hæc erit fruitio major, tanto Dei exaltatio in homine amplior. Qui ergo se ad hanc fruitionem quanto majorem disponit, is tanto majorem Deo gloriam conquirat; disponit verò soliditate virtutis, atque ita quanto solidiores esse in virtute curamus, tanto magis Deum glorificamus. Et quem hæc non movent? hæc moverunt Sanctum Patriarcham nostrum, hæc movent etiam Societatem nostram, hæc & nos movere debent, saltem abhinc, si adhuc non moverunt, ut in solidarum & perfectarum virtutum studium incumbamus.

Secunda causa est Christi exemplum, doctrina, merita, dignitas, voluntas. Quæ omnia ut in JESU Christo solidissimam fuisse virtutem docent, ita in Christianis, in Religiosis, in JESU Sociis, non nisi etiam solidissimarum virtutum studium exigunt. Expende doctrinas & exempla Christi, & merita, & dignitatem; videbis nihil in eis non summè solidum: qualis igitur tu imitator & Socius JESU eris, nisi solidus in virtutibus esse studueris? Quod
 si ex-

si expendas, quàm Christus id velit, ut nempe proficiamus; quàm sanguineis id Votis & quàm multis id poscat; quis tam ferreus, qui in hoc Christi gratificari nolit voluntati, sanguini, morti? Sit ferreus, quisquis esse vult, JESU Socius esse quî poterit? poteritne JESU Socius illam vocem surdus audire? *Si diligitis me, mandata mea servate.* Joan. 14. 13. Et quid commemorem hîc Christi gloriam, quam habet, dum solidè nos proficimus? *Gaudium Domini fortitudo nostra.* 2. Esdræ 5. 10. Etiàmne Christus non meruit, ut hoc illi gaudium gloriàmque non invideremus? Sanctus itaque Pater, & Societas, quia nos JESU Socios esse cupit, ideo nobis solidarum & perfectarum Virtutum studium præcipit.

Tertia causa, pretiosissimæ Parentis vita, mors, exempla, gloria: item Sanctorum omnium, item Sanctorum nostræ Societatis. In quorum omnibus moribus, nihil nisi virtutes solidæ apparuerunt. Quorum ergo tu Sanctorum istorum imitator, & socius, & frater, & cliens eris, si in virtute solidus non fueris? quomodo tu illos glorificabis, qui gloriam illorum tuis imperfectis virtutibus, ac moribus deteris? S. P. Ignatius, & Societas nos Sanctorum æmulos, & gloriæ illorum propagatores per morum & virtutum expressionem cupit; ideo nobis studium solidarum virtutum, quales Sanctorum fuerunt, inculcat.

Quarta causa, Ecclesiæ & Societatis JESU natura, indoles, vota, indigentia, finis atque vocatio, quæ omnia solidam & perfectam requirunt Virtute

tem in nobis Filiis Ecclesiæ & Societatis. Ecclesia est fundata super firmam petram Christum: Societas quoque super eundem. Quidquid in Ecclesia est in Societate à Deo ordinatum, totum solidum est, totum perfectum: vana, arundinea, futilia, fictilia, inflata, non admittit Ecclesia & Societas: exigit vasa auri solidi, exigit vasa electionis, exigit opera plena coram Deo, exigit aurum, argentum, lapides pretiosos. Neminem vult, qui inveniatur minus habens, cuius opus ardeat, cuius domus super arenam sit, qui sit arundo vento agitata, qui sit palea igni inextinguibili comburenda, qui pascat ventos, qui sequatur aves volantes, qui sit tanquam æs sonans, & tympanum tinniens, 1. Cor. 13. 1. Tales non vult Ecclesia, non vult Societas, adeo nos vult in virtutum solidarum studium incumbere. Et quis hæc Ecclesiæ, quis Societati invideat? Invidet, quisquis, virtutum specie contentus, virtutes ipsas non curat. An tu ex horum numero sis, vide.

Quinta causa nostrum nihilum, nostra vanitas, inconstantia, fragilitas, ad malum perpetua pronitas, quæ semper nos in præceps, in superbiam, in ruinam, & exitium trahit, nisi soliditate virtutum, & perpetuo cum gratia Dei labore, jugique cooperatione nosmetipsos stabiliamus, & solidemus, *Satagamusque per bona opera certam facere vocationem nostram, & in vacuum gratiam Dei non accipere.* 1. Pet. 1. & 10. 2. Cor. 6. 1. Metire, ô studiose virtutum, abyssos nihili tui; & conjice, quantâ soliditate perfectionis & bonitatis, illas expleturus sis:

sis:

sis: pondera, quanto pondere tendas ad ima, & infra ipsa inferna; & collige, quàm ponderosa solidaque opus habeas virtutum perfectione, ut illud pestilens pondus tuum ad ruinam allevies, atque subleves, & ad superna cœlestiaque attollas. Crede mihi homo, si id bene expendis, levicula virtute non esse tibi opus, nec qualemqualem perfectionem tibi sufficere, facilè concludes. Si solidissimæ quandoque virtutes vacillant & cœlorum virtutes moventur, tuæ imperfectæ perfectiones non corruent? Hoc igitur cavens & curans Societas, solidarum virtutum studium, omnibus perpetuò, perpetuumque commendat. Meritò id faciat? obaudire tu debeas? dispice, & tandem te seriò respice. Nulli magis incumbit, te solidè perfectum esse, quàm tibi; quia si fueris, hoc nulli magis proderit, quàm tibi; si non fueris, hoc nulli magis, nullique alteri oberit, præterquam tibi, ideo attende tibi.

D I E S II.

Quæ requirantur in virtute, ut sit solida.

1. Intentio pura seu caritas.
2. Humilitas.
3. Universalitas.

CONSIDERATIO IV.

Ad solidam Virtutem requiritur Intentionis seu Caritatis in Deum puritas.

Solidum dicitur illud, quod est spissum, & in quo nihil est vacuum, nihil permistum, nihil inflatum. Uter inflatus, arundo, & his si-